



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 15. Pontificis diploma in favorem Ordinis sancti Lazari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul XVI.
A. C. 1565

circa residentiam condita fuere, prælegebantur: postea autem Episcopis injectum, ut publica habeant Archiva, nullumque ad tonsuram admittant, nisi beneficio provisorius sit: insuper præscribatur Parochis fidei præcepta tradendi, Deique Verbum prædicandi modus, nec minus ibi agebatur de Canonicis, dignitatibus, quotidianis distributionibus, præcepto assistendi horis Canonicis, necnon de fabricis, ac præter alia de illis, quibus suffragii jus competit. Denique a hujus Synodi exitum quidam beneficiati nominabantur, qui in singulis diversarum Dioecesium Archipresbyteratibus hæc decreta ad usum deduci curarent.

§. XV.

Pontificis diploma in favorem Ordinis Sancti Lazari.

Bull. Const.
95. Pii IV.
Thu. l. 36.
Spond. hor
anno n. 16.
Et 17.

Die quarta Maji eodem anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto summus Pontifex in favorem Ordinis Militaris, ac Hospitalitatis, ut vocant, S. Lazari in Jerusalem diploma edidit: porro notum est omnibus, quod hic Ordo a Christianis Occidentalibus, dum Terram sanctam suo imperio subjectam tenebant, institutus, differat a Templariorum, Teuthonicorum, illorumque equitum S. Joannis Hierosoly-

Ierolymitani Ordinibus: illius autem in-
 stitutum eo collimabat, ut in domibus
 ad hanc pietatem specialiter erectis
 Peregrinos suscipere, per itinera com-
 mitarentur, eosque contra Mahometana-
 nos protegerent: eapropter hic Ordo
 amplissimis privilegiis a Pontificibus,
 necnon pinguibus prædiis a Principi-
 bus dotabatur, & quidem a Ludovico
 VII. anno post Virginis partum millesi-
 mo centesimo septuagesimo quarto pro-
 pe Aureliam Bogniacensem ditionem
 receperunt, ubi etiam Equites postea
 commorati sunt: postquam autem Chri-
 stiani Ierolymis fuere expulsi, ac
 proin horum Equitum obsequia haud
 amplius necessaria erant, Rhodienses
 Equites ab Innocentio VIII. facile obtine-
 bant, ut hic Ordo supprimeretur, atque
 illorum militiæ uniretur: cum au-
 tem Galli hac super re apud Regium
 Senatum quererentur, decretum fuit,
 ut hic idem Ordo a quovis alio segre-
 gatus subsisteret: ut igitur Pius IV.
 Gallorum voluntati cederet, omnia hu-
 jus Ordinis privilegia confirmabat, dum-
 modo Synodi Tridentinæ decretis non
 adversarentur, atque hoc etiam anno
 duntaxat pro Italia supremum Magiste-
 rium conferebat Johannoto Castillionæo
 Mediolanensi suo affini: insuper etiam
 huic Ordini eadem concessit privilegia,

Sæcul. XVI.

A. C. 1565.

Cc 5

qui

Sæcul. XVI
 A.C. 1565.

quibus Equites Melitenses, sancti Jacobi, sancti Stephani, & sancti Antonii fruuntur: præterea addidit idem Pontifex in suo diplomate, quod hic idem Ordo jamjam sancti Basilii Magni, & Divi Damasi temporibus fuerit institutus: verum hic error exinde promanasse videtur, quod sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione vigesima de S. Basilii laudibus sermonem faciat de quodam Hospitali a sancto Basilio sub invocatione sancti Lazari erecto, quod tamen in Ordinem militarem non erat evertum (*).

§. XVI.

(*) Nimis temere Continuator Pontificem erroris redarguit, cum ille duntaxat asserat Nosocomium, seu Hospitalitatem, Sancti Lazari a S. Basilio fuisse illustratam atque excitatam &c. de cetero Continuator noster de Ordinis hujus initio, ac progressu exiguam omnino notitiam hausisse videtur; Hac super re consulatur Paggius Brev. Rom. Pontif. hoc anno n. 97. præcipue vero doctissimus P. Honoratus a S. Maria Carmelita Discalceatus in sua Equestrium Ordinum Historia Lib. I. dissert. V. art. 2. ubi hanc difficultatem a Continuatore motam optime dissolvit. Vide eundem Lib. I. dissert. X. art. 5. §. IV.